

1538

*Turcica
classis nau-
fragium, &
Chariadeni
ad Aulonē
receptus.*

*Vincentii
Capellii cō-
siliū de
Turcica
classē inva-
denda.*

*Chariade-
nus, Dra-
gute in Co-
rinthiaco si-
nu relicto,
Byzantium
proficisci-
tur.*

Verum Chariadenus, nostros ad Neocastrum expugnandum profectos, certior factus, ut opem Neocastrēnsibus ferret, ex Ambracio sinu classem eduxerat, haud exigua spe fretus, adventus sui fama foederatos oppugnationem relicturos. Sed cum ad Saffonem insulam pervenisset, ingenti maris tempestate oborta, africo, atque austro furentibus, triginta circiter triremes desideratae sunt, quæ Acrocerauniis illis litoribus naufragium fecere; cum reliquis vero quassatis, ac procelloso mari varie jactatis, Aulonem se recepit. His, quæ classi hostium acciderant, a nostris cognitis, cunctorum animis pristinus vigor, magnaque spes accessisse denuo videbatur, cum hoste perculso, haud parvo triremium robore amisso, ad edendum præclarum facinus, quo infauti ad Actium successus memoria dederetur, aditum fortuna aperuisset. Imprimisque Capellius, hujus consilii auctor, Auriam multis rationibus in suam protrahere sententiam conabatur, ut recenti detrimento perturbatum, atque afflictum Aheneobarbum prosequeretur; neque egregiam, ac vix optatam contundendi hostis occasionem contemneret: brevi tractu Aulonem peti, hostes invadi posse, quos neque ad capeſſendam pugnam instructos esse constaret, neque, remis fere cunctis maritima tempestate confractis, ad fugam idoneos esse; neque demum tuto loco posse consistere, quod Aulonis arx a portu distans tutam classibus stationem minime præberet. Sed Auria Capellii consilium improbens, haud sibi dissimilis videbatur. Itaque nunc, anni tempus, quod jam autumnus senesceret, frequentibusque procellis mare jactaretur, minime opportunum esse; nunc, non satis sibi instructam classem ad dimicandum videri ajebat: ut moras neſtendo, & cunctando, Chariadenus, quæ ad iter necessaria erant, comparatis, tuto Byzantium perrexerit, Dragute, summi nominis pirata, in Corinthiaco sinu cum quinque ac viginti triremibus, atque haud parva biremium, & rostratarum manu relicto, ut infesta maria nostris redderet, ac quæcumque posset, damna Christianis inferret. Auria vero, qui jam iter sibi in Siciliam habendum statuerat, continuo, quamvis Gonzaga, ac e suorum numero multis dissentientibus, Corcyra solvens, in Siciliam navigationis cursum intendit; Capellio, reliquisque indignantibus, quod homo, Vene-